

fordia combustus. Enoch qui de saeculo iam diu migravit, fuit Johannes*) Smit, qui sectam primus in Thuringia publicavit, quique etiam, non autem Christus, ad ultimum iudicium in ultimo die sedebit.

§. IX.

Num ad hosce articulos silebant Inquisitores haereticae pravitatis? Minime gentium. Anno 1413 ad Clavum Moguntinae Archidioeceseos sedente Johanne Fratres Ordinis Praedicatorum Curiam Marchionum Misnensium accesserunt, praecipue Mag. Henricus Sednevelt**) Sangerhusam petiit, ibique formidabile Inquisitionis tribunal erexit. Anno Domini (uti habet Codex M. XXVI.) 1414 inventi sunt plures haeretici flagellantes in Thuringia, et specialiter in Sangerhusen, et proxima die post festum Kiliani, (quod absque horrore scribere non valeo) octuaginta quinque utriusque sexus sunt cremati extra Civitatem. Et paulo ante eodem anno Dominus de Swartzburg in terra sua iuxta Sundershusyn (Sondershausen) plures quam quadraginta homines utriusque sexus cremavit propter haeresim flagellantium.

§. X.

Quid dicam de talibus Inquisitoribus et ad tales, nominatim ad P. Thomam Jost Ingolstadiensem? Illud certe Christi: Nescitis, cuius spiritus estis. Hic quidem cum piscibus dentes premo, sed historia Inquisitionis Germaniae, quae sub calamo meo sudat, pro me clamabit. Zallweinius in Principiis Juris Ecclesiastici tom. II. p. 332 cordate scribit: Sane siquid est in Ecclesia Catholica, quod Religionem summe exosam, contemptibilem, immo etiam Protestantibus ridiculam facit, illud profecto est Tribunal Inquisitionis, quod

*) Conradus. F. **) Sconevelt (Schönfeld). F.